

sburg
52



1/
1
2.
3
4
5.
6.
7.
8
9
10
11
12



1757.

1. Bentz, Johannes Jacobus: De carnis fortuito
2. Buchsenstein, Johannes Adamus: De acquisitione et
distributione fructuum a bona et mala fidei possessore
et. Analysis 1.22. P. de rei vindicatione
3. Coeporus, Johannes: De creditorum in concursu praesentia
rentia
4. Dassel, Georgius von: Theses inang. jus temporis
quadragesimalis delibantes ad l. l. l. de feriis et
accomodatae.
5. Faber, Julius Sebastianus: De societate
6. Halbritter, Johannes Georgius: De majoratu ongo
Majoratus. Quatern
7. Lentz, Johannes Casparus: De audientia episcopali.
8. Pancus, Georgius Hurvius: De damno contra l. Aquilianam
dato.
9. Pancus, Georgius Hurvius: De delicto damni et l.
Ajustia ejusdem vindice.

1651.

9. Reichmannus, Godefridus: De repetitione dotis 5.
10. Schallerus, Jacobus: Civi Democraticus. 6.
11. Schoene, Arnoldus: De subbatione 7.
12. Schoene, Hermannus: De induciis moratoris 8.
13. Tabor, Joh. Otto: De sententia Nov. CLX Capitulis
et II archiep. de cont. Evendit. . . .
13^a Tabor, Joh. Otto: De continuanda annuorum redi- 9.
tuum praestatione 10.
14. Beiglerus, Johannes: Callationis juris Romani
et Hungarici Td. $\pi\sigma\omega\tau\alpha$. 11.

1652

1. Berneggerus, Tobias: De monopolio
2. Braun, David: De iudicio sortis per indicem. 13.
3. Bullaeus, Mauricus Tractius: De contumacia
4. Cramer, Johannes: De adulteris, stupro, incesto, 1.
et lenocinio ad l. Juliae

1652.

5. Klenzel, Christianus : De instrumentorum editione
6. Meinders, Franciscus : De cessione actionum
7. Spelleezy, Jacobus : De cessione bonorum
8. Tabor, Joh. Otto, fac. jur. decanus : Programma, quo ad solennia doctoralia Universitatis Thommanni et Hurici Loachini Bullae invitatur.
9. Tabor, Joh. Otto : De investitura feudali.
10. Tabor, Joh. Otto : De termino antichreseos laetae, et ejus, quod interest.
11. Tabor, Joh. Otto : De patria potestate.
12. Tabor, Joh. Otto : De non usu vel abrogatione juris Justinianae.
13. Tabor, Joh. Otto : De censuum mixtorum, et antichreseos perpetuatione.
14. Tabor, Joh. Otto : De jure emphyteutico.

1652

15. Taber, Joh. Wllo: De usuris pupillaribus, reo-
dicatae, pacto extensivo promissis, nautices
et cambialibus.

14
100





203.

CASV FORTVITO

DISPUTATIO INAUGURALIS

Q V A M

Sub unico SS. Trinitatis praesidio,

Ex Decreto & Auctoritate

NOBILISSIMI ET AMPLIS-
SIMI ICTORUM ORDINIS, IN CELE-
BERRIMA ARGENTORATENSIUM
UNIVERSITATE,


*Pro Insignibus, Privilegiis, & Immunitatibus
Doctoribus in Præf. Jure obtinendis,*

Publice ac soleam Censura submittit

JOHANNES JACOBUS

Argentoratus,

Die 23 Junii 1787




ARGENTORATI,

Typis JONAE P. & HEDER.

1787





ANALYSIS

Legis 22. C. de Rei Vindicatione,
Continentis articulum juris

DE ADQV SITIONE, ET
RESTITUTIONE FRUCTUUM
à Bonæ vel malæ fide; Possessore.

QVAM

DEO TRINVNO
PRAESIDENTE.

Decreto & Autoritate

*Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi Ictorum Ordinã
in celeberrimã Reip. Argentoratensis
Vniversitate*

Pro summis in utroque Jure Privilegiis, atq;
honoribus Doctoralibus consequendis, publicæ
& solenni censuræ subjicit

JOHANNES ADAMUS Büchsenstein/
Spirensis,
die Mensis Majj.



ARGENTORATI,
Ex Muséo Chalcograph: JACOBI TRILONIS,

ANNO M. DC. LI.

27. 28.
431.

1651, 2.

6.

140



VIRUM

*Magnificum, Nobilissimum Amplissimum atque
Consultissimum*

DOMINUM GEORGIUM FRIDERICUM Mohr/
Jctum gravissimum, & Supremi Camerae Imp. Ju-
dicii Assessorem eminentissimum

Item

VIRVM

Amplitudine, prudentiâ ; auctoritate, Consilio,
& Virtute insignem,

DOMINUM JOHANNEM GEORGIUM Rumetsch/
Patriæ Consulem atq; scholarcham gravissimum.

VT ET VIROS

Nobilissimos, Amplissimos atque Consultissimos

DOMINUM FRIDERICUM Gödelmann.

DOMINUM JOHANNEM ULRICUM Stiebern.

DOMINUM CONRADUM Blawfeldern.

Jctos, Cam. Imp. Spir. Advocatos, & Procurato-
res, celeberrimos

Nec non

VIRIOS

Prudentissimos, Consilio & auctoritate maximè Con-
spicuos, Reip. Spir. Senatores, & respectivè secretioris
consilii Assessores meritissimos

DOMINUM MICHAELEM Müllern.

DOMINUM JOHANNEM LUDOVICUM Kädeln.

DOMINUM GEORGIUM Schneidern.

Dominos Mæcenates, Patronos, respectivè Affinem,
Fautores, Promotores, & Compatrem

*hæc inaugurali inscriptione tam debito honore prosequi,
quàm ulteriolem Eorum favorem demereri annitur*

AUTOR.



CAPUT. I.

Ὀνοματολογία continens.

THESIS I.



Uspicaturus cum bono DEo Explicationem l. 22. C. de R. V. è re susceptæ methodi erit, cum rerum intelligentia à significatione verborum dependeat, prius horum usum & ex his insigniorum solùm cognoscere, quàm ipsius Rei tractationem, præmissa tamen etiam brevi mentione personarum, tum Rescribentium tum Impetrantis, aggredi.

II. Sunt autem priores uti ex præcedentis l. 10. inscriptione patet, iidem Augusti & Cæsares, Diocletianus & Maximianus. Diocletianus Diocles donec imperium sumeret, postea Diocletianus vocatus à Matre Dioclea, Diocleæ obscurè natus. Mortuo Caro ejusve filio Numeriano ab Apro occiso, Imperio potitus Anno Christi 284. Maximianum Pannonium Cæsarem creavit, Anno Christi 285; & quia variis implicaretur bellis sequenti anno Augustum proclamavit. Anno vigesimo Imperii Diocletianus, decimo octavo Maximianus, ille novies, hic octies Coss. Imperium spontè deposuere Anno Christi 304. ut videre est apud Vopise: Vict: P. Diac: Calvis: Helvie: in Synops: Hister: univ: Persona Impetrans est Diodota, sive ut glossa habet Dioclotus; hæc de Personis, nunc ad verba.

III Certum à cernendo, ideò quod liquidò appareat, & oculari sensu deprehendatur dici Alciat: ad l. 74. n. 4. de V. O. observat, eandem vocè nunc latius nunc angustius declarari prout subjecta materia ferat idem ad l. 6. ff. si cert. pet. annotat, hoc loco de eo quod clarum manifestumque est intelligi potest, Alciat. dd. locis.

IV. Fides quid sit aliunde peti potest. Malam fidem describit Vultejus in Comm. Inst. de usu cap. n. 39. esse conscientiam læsam, quæ convincit aliquem de scientia rei alienæ vel traditæ

A

vel

6.

196



l. 1. ff. de A. v. A. p.

vel accepta dolo malo arg. l. 109. de V. S. ibid. Gædd. n. 2.

V. Cohæret vox Possessor desumpta à Possessione quam Paulus & Labeo ratione Originis Grammaticæ à pedibus quasi pedum positione appellatam volunt. Alii à sedibus ut magis congrua & Vocabuli sono convenientiore derivationis ratione eam deducunt, quod illam affectantes sedes figere atque constituere, cum adhuc occupantibus omnia cederent, consueverint. Wes. par. ff. de A. v. A. P. n. 2. Bachov. ad trentl. Vol. 2. Disp. 21. §. 1. lit. a. C. A. §. 3. n. 1. d. t. De vocis hujus appellationis ratione vid. fusiùs & perfectiùs Clariss. & Excellentiss. Virum Dn. Doct. Biccium Præceptorem meum summè venerandum in Comment. ad. l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. poss. part. post. quæst. 1.

VI. Sequitur, Fructus, qui à ferendo dicuntur seu à fruendo, quod rebus ex fundo perceptis fruamur Gædd. ad l. 77. n. 1. de V. S. & intelliguntur tunc cum impensæ quæ quarendorum cogendorum, conservandorumque eorum gratia fiunt, deductæ fuerint l. 36. §. fin. ff. de her. per. Et hi propriè dicti sc. fructus, ex causa existendi (nam ex modo existendi, qualitatibus, aut aliunde alia eorum divisiones sunt) distribuuntur in Naturales & Industriales. Illi sunt, qui spontè magis atque naturæ beneficio, quam factò hominis proveniunt, l. 28. §. fin. ff. de usur. l. 48. §. fin. ff. de A. R. D. Hi, qui hominis potissimùm crescendi materiam ipsi naturæ subministrantis operâ & cultura producuntur d. l. 48. pr. §. 36. l. de R. D. l. 45. de usur.

VII. Vocem solere quæ nunc sequitur in quibusdam libris nõ in veniri Russardus & Charõdas notant; uti Dn. D. Bitschius p. m. ad h. l. observavit, nec tamen inde eam superfluam atque otiosam videri debere, sed notam regulæ seu juris regularis, exceptionem implicantis esse Idem d. l. indicat atq; exemplis demonstrat.

VIII. Cum re ipsa. De natura & significatione Vocis Rei, videatur Clarissimus & Excellentissimus Dn. D. Tabor Præceptor atque fautor meus æternùm colendus partit. Elem. Jurispr. meth. part. 2. §. 1. 2. Alciat. in comment. ad. l. 38. §. 3. lit. b. Idem ad. l. 5. n. 1. de V. S.

IX. Progredior ad Verba Bonæ fidei verò supple Possessor. Bonæ fidei verbum quòvis est, modò opponitur stricto juri §. 28. vers. bonæ fidei J. de act. Interdum male fidei i. e. dolo malo l. 11. §. 1. & seq. ff. de dol. l. 10. pr. ff. mand. Pac. Anal. C. de

CRIMINO

A

O. A. n. 5.

433
2.

O. A. n. 5. Est autem Bona fides hinc probabilis rei alienae ignorantia. Matth. Steph. ad l. 136. de R. I. Vmm. de Process. D. 21. 0. 3. n. 18. pr. aded ut si possessor eum, à quo possideat fuisse dominum, aut saltem, jus in se transferendi dominii habuisse, indeque sibi habere licere credat, pro bonae fidei possessore habeatur l. 109. de V. S. quod quidem ex re ipsa, non autem ex eo an quis usucapiat vel non, cum hoc ex jure, illud ex facto sit, judicandum est. l. 48. §. 1. ff. de A. R. D.

X. Possessor a. hoc loco sub intelligendus non quilibet, sed Verus, sc. qui pro se, non pro alio, sibi, non alii, suo non alieno, nomine l. 1. pr. & §. 20. l. 18. pr. ff. de A. v. A. P. quique pro suo ex justa sc. causa & titulo ad transferendum Dominium idoneo, non pro alieno possidet l. 1. pr. ff. pro suo. l. 24. C. de R. V. §. 36. l. de R. D.

XI. Reliqua verba quibus lex absolvitur sunt haec. *Post litis autem contestationem universos.* Lis à limite i. e. termino dicta, cum primae inter homines controversiae de Limitibus amplificandis exorta fuerint. Contestari autem seu contestationis vocem inde, cum antiquitus in lite contestanda testes adhiberentur utrique litigantium eos hoc modo compellarent *Testes estote*, originem suam traxisse autor Festus est. Pacius *Anal. Cod. de lit. contest in fin.* Lis late sumta non solum extra sed & in judicio dici potest *Giph. ad Instit. lib. 1. n. 14. p. 14;* Proprie autem dicitur antea quam res in judicium deducta fuerit, Facta autem contestatione & accepto judicio potius *controversia* vocatur.

Caput Secundum

Complectitur *πραγματολογία* quae dividitur in duas partes.

I. Pars,

Summa atque sententia Legis extensivè concepta atque declarata constat.

Generaliter quidem, sed non sine distinctione verum est: *rem alienam possidens uti eam ipsam ita & fructus ex ea perceptos restituere tenetur.* *Cop. lib. 2. t. 4. c. 1. pr.* Si enim m. f. possessor, tunc indubitatum est, eum omnes

A 2

omnino

6. 196

omninò fructus tam consumptos quam extantes, tam ante quam post litis contestationem perceptos, imò & quos non perceperat, eos tamen percipere honestè potuisset indistinctè, utrum titulum habeat nec ne, cum re ipsa præstare debere. *Donell. tr. de fruct. c. 4. pr. C. A. d. 44. de R. V.* Alia verò ratio si sit *B. F. Possessor*; hic enim fructus *extantes* quidem i. e. ante litem contestatam perceptos necdum consumptos re evicta restituere cogitur, quia tunc Domini jus tanquam fortius superveniens, effectum suum producit & bonam fidem extinguit, secundum *l. 49. §. 1. ff. de R. V.* Interim tamen, quia omnes fructus non jure seminis sed soli percipiuntur *l. 25. pr. ff. de usur.* magisque corporis jus ex quo percipiuntur, quàm seminis ex quo oriuntur, aspicitur *d. l. §. 1. ij tam naturales quàm industriales* ejus fiunt, eosque percipiendo suos facit, nec illos consumptos, sive locupletior ex his factus sit sive non, in hoc singulari judicio, restituere compellitur *Gilk. c. 7. pr. ad §. 36. l. de R. D.* Licet enim commune sit ex re nostra natum, nostrum esse *§. 19. l. de R. D.* Singulare tamen inter alia est, fructus ex re nostra ab alio bona fide possessa perceptos, fieri ipsius *B. F. possessoris* *vid. not. Dn. D. Locam, ad d. §. 19. v. §. 36. & seq. l. d. t.* nam fructuum perceptio, modus quidam adquirendi ex jure Gentium *d. §. 36.* cujus intuitu *B. F. Possessor Domini* penè loco est *l. 48. pr. ff. de A. R. D.* in iisque percipiendis idem quod Dominus jus habet *d. l. 25. §. 1. ff. de usur.* sicuti enim Dominus ex veritate, quicquid ex re sua provenit percipiendo, ita *B. F. P.* ex præsumptione seu probabili opinione Domini acquirit, siquidem tantundem ex bona fide quantum Dominus ex Dominio habere debet, secundum *l. 136. ff. de R. I. v. Carpz. decis. 25. n. 20.* Denique quia inter alios Litis contestationis effectus & hic est, quod ea *b. f. possessorem* in mala fide constituat

453
tituat l. 25. §. 7. ff. de her. pet. l. 2. C. de Fr. & lit. exp.
Carpz. dec. 40. n. 3, 4. Pac. anal. C. de Fruct. & Lit. expres.
n. 2. fas est ut & hi paribus fruantur juribus: mutata igitur
eo modo bona fide, B. F. Possessor, ex eo tempore
nullos porro fructus acquirere, nec prius perceptos ampli-
us suos habere, vel consumendo lucrari potest, sed
cum ipsa re universos, i. e. non tantum perceptos,
sed & percipiendos, item extantes, consumptos, &
neglectos, vero domino vindicanti restituere cogitur d.
l. 2. §. 2. in fin. l. de O. l. Dn. D. Locam. quest. Inst. 147. Pac.
anal. d. l. Carpz. in def. p. 3. constit. 32. defn. 30. n. 10.

Pars Secunda.

PRæmissa hoc modo summa cum ejus extensione, at-
que declaratione, nunc singulis ejusdem partibus atq;
membris, suas dubitandi atque Decidendi rationes ob-
jectionum vice ex solenni veterum methodo, prout ta-
men textus feret adnexurus, & ut meliore ordine fiat,
duabus sectionibus id præstiturus sum, quarum,

I. Sectio.

M. F. Possessorem concernet.

1. M. F. itaque Possessorem omnes omnino fructus quos
perceperat restituere oportere plusquam certum est, an autem
idem ad percipiendos rectè extendat summa non leviter dubita-
tur? a quitaque, præsertim quod nunquam percepti fuerint, vix
consentaneum esse videtur; quo fortè Jmpp. in l. 17. C. de R. V.
& l. 3. C. de Cond. ex L. respicientes, cum ibidem de perceptis
fructibus M. F. P. conveniri posse tantum asserant, ideò percipi-
endorum argumento à contrario sensu, gratiam fecisse à vero nō
abhorret. Gilk. ad §. 36. vers. Et v. l. de R. D.

2. Sed nemo est qui nesciat, quod quamvis argumenta-
tiones à contrario sensu in jure tam frequentissimæ, quàm for-
tissimæ sint; eas tamen locum non invenire, ubi vel lex, vel ra-
tio in contrarium est; tantæ enim virtutis non sunt, ut certa le-
ge, & expressis verbis cauta, tollere possint. Everhard. in loc. à

A 3

contrario

contrario sens. n. 7. 12; vel quando ex iis sequeretur correctio juris *Everh. d. l. n. 7. & seqq.* Deinde palam etiam est. ab unius inclusione ad alterius exclusionem argumentum non procedere; idèd quamvis in fine *d. l.* nominatim exprimatur in restitutionem venire fructus quos possessorem mala fide percepisse probatum fuerit: non tamen dicitur eos qui percipi debuerunt restituendos non esse v. *Copus lib. 2. tit. 4. c. 2.* Denique possibile est *Imp. ibi Rescriptum* suum ad circumstantias facti fortè propositi direxisse, quo petitores alios fructus quam quos possessores percepissent, percipere non potuerint; de perceptis enim fructibus hæc lex solùm intellecta frustramembranas occuparet, quippe quæ nihil decideret de quo antea apertè non constaret.

3. Porro *summam* indistinctè M. F. Possessores sive titulum habeant sive non, fructus percipiendos restituere debere asserentem, dubiam facit, ratio hæc, quod qui titulo aliquo gaudeat, justiore causam habere eo, qui tali destitutus est *Hart. Pist. lib. 4. q. 28. n. 8.* ideoque etiam mitiùs cum hoc percipiendorum ratione, quàm cum illo agi debere, æquum esse; quamobrem quando *Vlpianus in l. 25. §. 3. 4. ff. de her. per.* fructus perceptos cum percipiendis restituendos ait, de iis possessoribus qui nullam omnino causam sive titulum possidendi habent, ibi intelligit.

4. Verùm, licet diffitendum non sit possessorem titulum justiore possidendi causam, quàm eo carentem habere, tamen titulus hoc casu tantùm præsidii adferre non potest, ut ejus prætextu M. F. P. à fructuum horum præstatione liber esse possit; siquidem dolo facit, eoque ei meritò imputandum dum rem ad alium pertinere sciverit, in colligendis fructibus eam, quam debuisset, diligentiam non adhibuerit. Quapropter prædicta ratio, generalitati Regulæ *in l. 5. C. de R. V. l. 62. §. 1. ff. eod.* fundatæ *Gilk. ad d. §. vers. ei verò qui l. de R. D. & per jura à glossa in d. l. 17.* allegata confirmatæ, nihil derogat. cui adstipulantur *Vulteius in discept. schol. cap. 20. & Copus de Fruct. lib. 2. t. 4. c. 2.* dum ajunt, quod nulla ratione juris evinci queat, malam improbi possessoris fidem titulo purgari posse; quatenus autem possessor fructus restituere debeat vel non, id bonæ vel malæ fidei, non tituli consequens esse. Nec ulla etiam probabilis ratio dari

434. 27.
2.

tio dari potest, quare cum eo qui ab initio læsam conscientiam
habet mitius agatur, quam cum hoc qui initium justum habet,
nihilominus post litem contestatam omnem causam l. 2. ff. de
usur. l. 31. pr. ff. de Reb. Cred. & nominatim etiam fructus percipi-
endos præstare teneatur l. 2. C. de fruct. & lit. expens. l. 1. C. de
Her. petit. Gilk. ad. d. §. n. 20. Quæ decisio quidem quamvis
rationibus hisce sat firmis nixa, priorem tamen sententiam sc.
possessorem titulo gaudentem à præstatione percipiendorum
immunem esse, communiter à Dd. receptam & approbatam te-
statur Hart. Pist. lib. 4. q. 28. n. 6.

Sectio Secunda.

Occupata erit circa B. F. Possessores, tribus
diversis membris; quorum

I. Membrum Respicit restitutionem fructuum
à B. F. Possessore perceptorum.

I. **I**Nitidò autem inquit Lex nostra quod B. F. Possessor extantes
tantum i. e. ut in *summa* explicatur, perceptos nondum au-
tem consumptos fructus restituere debeat. *Rationem* verò de his
dubitandi offert l. 27. ff. de usur. l. 25. ff. de A. E. V. l. 44. ff. de R. V.
Godofr. ad h. l. lit. h. Quæ ll. fructibus extantibus, pendentium sc.
adhuc solo coherentium, & stantium significationem attribu-
endam esse suadere videntur; quare B. F. Possessorem perceptos *extantes*
etiam lucrari; illos verò solum restituere oportere sequitur; id-
que etiam propter l. 28. pr. ff. de usur. quæ fructus extantes, sta-
tim atque percepti B. F. Possessoris pleno jure esse dicit; Qua-
propter ad horum restitutionem nullo pacto cogi potest, si qui-
dem quod semel nostrum est, sine facto nostro à nobis ad alium
transferri non potest l. 11. de R. I. ita ut summo Principi quo-
que si id facere velle eo modo non liceret. *Matth. Steph. ad d.*
l. 11. de R. I. Quod stabilitur etiam l. 25. §. 1. *versu porro ff. de*
usur. dicente B. F. Possessores in percipiendis fructibus id juris
habere quod Dominis prædiorum, & plusquam fructuariis tri-
butum est *vers. præterea d. l.* Liqueat autem illos jure Dominii §.
19. l. de R. D. hos, vi juris utendi fruendi fructuario concessi §.
37. l. d. r. fructus istos pleno jure & irrevocabiliter suos facere,
indeque nec restituere debere;

2. Cui

6. 196

2. Quibus accedit & hæc ratio quod nullum juris remedium sit, quo B. F. Possessor ad fructos illos extantes restituendos compelli possit; *Non Rei vindicatione*, quia jam Dominus est, uti ex jam dictis patet. *Non Condiçione* cum nullum negotium intercessit §. 1. I. *de act. Nec officio judicis*, quia id separatim & per se locum habere nequit l. 49. §. 1. ff. *de A. E. V.* sed post litem demum contestatam vim suam exerit arg. l. 68. ff. *de R. V.* arg. l. 25. §. 8. ff. *de edil. Edict. Cop. lib. 2. t. 4. c. 8.*

3. Insuper etiam æquitas id suadere videtur; quia Jctus in §. 36. I. *de R. D.* fructus perceptos b. f. possessoris fieri dicit ratione naturali h. e. æquitati maximè consentanea. Inde iniquum esset b. f. possessorem fructibus ante litem contestatam, præcipuè autem curâ atque labore suo perceptis extantibus fraudari arg. l. 10. ff. *de R. I.* Et hæc rationes omnes sunt donelli quas urget lib. 4. *Comm. c. 26. & in tract. d. fruct. c. 4.* quarum etiam succinctè meminit. *Gilk. ad §. 36. c. 7. I. de R. D.* Nunc singulis his quoque suæ decisiones subjungendæ.

4. Prima itaque prioris dubitationis decidendi ratio cum *Gilk. ad §. 36. c. 7. n. 65. I. de R. D.* ex ipsis ll. allegatis desumi potest, quibus penitiùs perspectis, deprehendetur eas nil tale inferre, neque de extantibus, ~~perceptis sc. & nondum confirmatis~~ fructibus loqui, si quidem ibi solummodò pendentium, ut sunt poma & pyra nondû ex arboribus collecta, aut uvæ vitibus nondum decerptæ; & stantium v. g. segetum flavescentium aliarumque frugum mentio fiat; quæ quia à re ipsa diversum quid non sunt, & dum solo cohærent, possessorque eos nondum habeat qua ratione præstari aut restitui possint non constat? Sunt enim pars fundi & unum quoddam cum fundo d. l. 44. ff. *de R. V. l. 61. §. 8. de furt. umm. de Proc. Disp. 21. §. 3. n. 20. C. A. §. 44. de R. V.* idè Domino potiùs relinquuntur, quàm ut ei præstari posse dicantur. Verba porrò d. l. 28. *pr.* ibi pleno jure sunt b. f. poss. &c. *de usur.* nos parùm, aut nihil movebunt, modò homonymia eorum explicetur. Ut enim aliàs rarum non est, ut una & eadem vox, ad diversa relata, diversimodè accipiatur gl. *ad l. 2. ff. de off. Procons.* ita & illa verba variis modis accipi, & secundum subjectam materiam declarari solent. *Alciat. ad l. 126. de V. O. n. 12.* Duplici enim sensu *Pleno jure* intelligi potest, *vel ratione formæ; vel ratione effectus Domini.* Illo modo idem significat quod

quod verè & plenè, tam usufructu, quàm proprietate domini-
num esse, ut *Alciat. d. loco in pr. observat.* licet quis tantum in-
terim (ita dictio hæc in *l. 48. pr. de A. R. D. usurpatur*) domi-
nus sit; quod iterum *Alciat. d. l. n. 14.* exemplo demonstrat; &
hoc sensu phrasis illa in *d. l. 28.* intelligenda est. Hoc v. modo
significat jus perpetuum, absolutum & irrevocabile, quæ acce-
ptio d. loco non convenit.

5. Eiusdem distinctionis beneficio resolvi potest dubium
à *l. 11. de R. I. motum*, si eam accipiamus quando absolutè, non
quando secundum quid aliquid nostrum, sine voluntate atque
consensu nostro, aliò transferri debet. *Dn. D. Bitsch. ad h. l. nostrã.*

6. Eadem ferè ratione scrupulus per *l. 25. §. 1. de usur.* inje-
ctus eximi potest, si collationem ibi inter b. f. possessorem, &
Dominos Prædiorum *strictè*, certo tantum casu, nempe de ipsa
perceptione fructuum quæ jure fit, & ad acquirendum Domi-
nium prodest, intelligamus: quod confirmatur comparatione
B. F. Possessoris etiam cum fructuario in *d. l. vers. præterea habi-
tã*; ubi, licet B. F. Possessor & fructuarius, in modo percipiendi
distinguantur, eò quod huic fructus non cedant, nisi ab ipso per-
cepti; illi verò etiam à quovis solo separati; conferuntur tamen
in perceptione ipsa v. *Gilken. d. l. n. 62.* Non v. *si simpliciter &
absolutè*, nempe de effectu Domini, jureve perpetuo in acqui-
sitionis obtinendo, eam æquiparationem exaudiamus; cujus acqui-
sitionis alia, quàm illa causa est v. *Vmm. D. 21. §. 3. n. 21. in fin.
add. Dn. D. Bitsch. ad h. l.*

7. Ad quartum argumentum, ex quo hæsitatio emergere
posset, simpliciter negando respondemus cum *Gilken. d. l. n. 64.*
argumento §. 36. *vers. & idè I. de R. D.* ubi docetur, Dominum
R. Vindicatione contra B. F. Possessorem utentem, de fructibus
ab eo consumtis agere non posse; idè de perceptis nondum
consumtis id verum esse oportebit *arg. §. 2. vers. si. v. b. f. poss. I. de
off. jud. l. 4. §. 2. ff. Fin. reg. l. 41. §. 1. ff. de jud. C. A. §. 33. circ. fin.
vers. ab eo b. f. poss.* Cæterum falsum etiam esse, officium judi-
cis, quia actioni cohæreat, nil posse circa accessiones, nisi quæ
post litem contestatam debentur, probat iterum *Gilk. d. loco per
l. 48. ff. de R. V. d. §. 2. pr. I. de O. I.* quibus addi possunt *d. l. 4. §.
2. ff. Fin. Reg. l. pen. ff. fam. Ercisc.* ubi præteriti quoque tempo-
poris fructus (quamvis non indistinctè *ibi*) officio judicis veni-

B

re in-

re indicatur. Nec enervabunt hæc, loci pro ratione dubitandi supra adducti, quia talem exceptivam propositionem: eas solùm accessiones, quæ post judiciũ acceptum veniant, tantùm officio judicis contineri, non implicant.

9. Ultima dubitandi ratio nobis instar decisionis erit. Si enim æquum judicatur, ne B. F. Possessor fructibus istis perceptis, propter culturam aut curam fraudetur, sanè æquius erit, si postea de vero domino constiterit, fructus istos illi restitui, veluti jus fortius præ b. f. possessore habenti *Dn. D. Bitsch. ad h. l. vi regulæ juris*; Quodcunque ex re mea natum est, & extat, meum est. *l. 49. ff. de R. V.* tantùm de primo membro.

Membrum Secundum

De fructibus quos B. F. Possessores adquirant, atque suos faciant, disceptanda proponit.

1. **P**ostquam jam satis probatum B. F. Possessores fructus extantes re evictâ restituere teneri; pergit *summa*, & dicit, interim, antequam id insecutum fuerit, eos utrosque, tam Naturales, quàm industriales, percipiendo suos facere; & confirmatur hoc per *l. 48. pr. ff. de A. R. D.*

2. Quam assertionem, quoad Naturales vehementer in dubium revocat *l. 45. ff. de usur.* propter rationem apertissimam hanc: maritum (ibi B. F. Possessorem) fructus non nisi industriales suos facere, naturales non item *quia non ex facto ejus nascuntur* *Umm. Disp. 21. §. 3. n. 21.* & ita expressè Pomponius decisionis suæ causam in Possessoris operâ, & industriâ collocat; cui calculum addit *§. 36. l. de R. D.* ex eadem ratione fructus istos b. f. possessori adjudicans *Cop. de Fruct. lib. 2. t. 4. c. 6. pr.*

3. *Ummius d. l. ex Accurs. & Hugol. item Donell. Comm. lib. 4. c. 25. Giph. ad d. l. 48. Cop. d. l. vers. idem tamen;* ut omnem inter hos textus dubitandi ansam resecent, existimant *Paulum* in d. l. 48. voce *omnes* non naturales & industriales simul, sed solùm *industriales* propria, & aliena operâ complecti, eoque naturales excludere, ideò, quod ibi quæstio tantùm esse videatur, an b. f. possessoris industriales, etiam qui diligentia, satione, & sumptibus alterius provenerint, fiant, de spontè, ut & propriâ industriâ natis jam constare *ex d. l. 45. de usur.*

4. Sed dictionem *Omnes in d. l. non secundum quid, sed simpliciter*

456.
pliciter intelligendam, naturalis ejus, & similium vocum, non facile restrictionem admittentium latitudo suadet; quæ cum etiam aduersativè ibidem posita; antecedentibus, in quibus de iis fructibus jam actum, ubi aliqua diligentia, & cura intercessit, opponatur, ex naturâ aduersativæ, omnes alios fructus, in quibus etiam nulla planè cura vel industria requiratur, comprehendere necesse est. *Hartm. Pist. lib. 4. q. 29. n. 9.* alias Paulus dixisset, non tantum eas, qui diligentia & operâ ejus pervenerunt, sed & qui operâ alterius, quod magis propriè locutum fuisset; Et firmat hoc, tum subsequens ratio generalis: quod b. f. possessor quod ad fructus attinet, Domini penè loco sit, tum, quod statuere Jctum, regulâ de industrialibus jam latâ, ubi per *l. 25. §. 1. de usur.* nil interest à quo sati, separati, aut percepti sint. *C. A. 8. 32. n. 2. de usur.* fructus alterius operâ proventos, ab à proprio labore acquisitis exclusisse, rationi inconueniens esset. Et denique subjuncta etiam *in seq. §. 2. d. l. 48.* exempla illam interpretationem non procedere demonstrant. latius *Hartm. Pist. d. loco.*

5. Porro Wesenbec. *ad. §. 36. l. de R. D.* cum Bartolo, iisque quos allegat, distinctione tituli justi vel injusti, seu nullius rem decidere conantur. Quasi Paulus de B. F. possessoribus titulum habentibus, Pomponius verò de destitutis tali, aut minùs probabili subnixis loqueretur *v. Cop. l. 2. t. 4. c. 6. in fin.* & ut hæc interpretatio *d. l. 45.* eò magis conveniat, dicant, vocem *cujuslibet* ibi partitivè accipiendam, ac si diceret; non *cujuslibet* B. F. Possessoris fructus naturales indistinctè fieri, sed solùm iusto titulo possidentis. *Gilk. ad §. 36. l. de R. D. c. 7. n. 5. 6. 7.*

6. Verùm cum illa distinctio à nullo Jctorum, uti *Vulzeius in discept. schol. c. ult.* & alii testantur, tradatur, & quod *in l. 45.* de fructibus dicitur, indistinctè atque generaliter in quocunque bonæ fidei possessore locum habere asseratur, insuper etiam B. F. Possessor sine titulo, vix aut rarissimè detur, jura autem ut *ex l. 5. ff. de LL. patet*, ad ea potiùs quæ frequenter & facile, quàm quæ perrarè fiunt, aptanda sint; ideò Pomponium ea verba ad talem casum restrinxisse, verosimile non est. *v. Ignat. Hanniel. ad l. 48. de A. R. D. n. 8.*

7. Alii volunt Paulum intelligendum de eo B. F. Possessore, qui ex oneroso, Pomponium, qui ex lucrativo titulo Possessionem

sessionem nactus est; Sed hanc distinctionem repudiat generalitas tam dicti §. 36. l. de R. D. ibi *bona fide emerit, vel ex donatione acceperit, quàm d. Legis 45. §. 48.* dum qualiumcunque indistinctim possessorum mentionem injiciunt, nec causam lucrativam, ab onerosa discernunt C. A. θ. 33. *vers. cum autem queritur de usur.* Idem θ. 32. n. 2. pr. d. t. Hartm. Pist. lib. 4. q. 26. n. 7.

8. Antonius Fab. l. 4. *Conject. c. 17.* suspectâ aliâs & hic non necessariâ particulâ *Nec extinctione,* litem hanc decidendam putant.

9. Alii alio modo id præstare tentârunt; quos fusiùs videre licet apud Gilken. ad d. §. 36. Ignat. Hanniel. ad d. l. 48. Hartm. Pist. d. q. 26. Vmm. de Process. d. Diss. 21. θ. 3.

10. C. I. A. θ. 33. de usur. cujus vestigia hoc loco etiam sequimur triplici circa hanc l. 45. decidendi ratione utitur. 1. Justæ oppositionis Leges observando 2. Veram d. l. quæstionem proponendo. 3. Phrasen suum facere, & alicujus fieri, ab ambiguitate suâ liberando.

11. Primò itaque *θεωρησιν* in summa complexa; & per l. 48. præ probata, omnes fructus etiam naturales fieri b. f. possessoris, non fit talis oppositio in l. 45. Non omnes fructus etiam naturales fiunt B. F. P. seu quod perinde esset: Quidam fructus naturales non fiunt B. F. Possessoris: sed Pomponius hoc dicit: Fructus naturales non fieri cujuslibet B. F. P. sive quod concinnius; cujusdam B. F. P. non fit fructus naturalis: *Riem. dec. 4. q. 4.* Cujus contradictoria hæc est. *Omnis b. f. possessoris fit fructus naturalis.*

12. Quibus ita præsuppositis, patet *secundò*, longè diversas esse quæstiones *An b. f. p. fructus omnes faciat suos, & An omnis B. F. P. fructus faciat suos;* quarum priori affirmando, posteriori, quæ legis l. 45. est, negando respondendum. Hinc apparet dari quosdam B. F. Possesores, qui fructus suos non faciunt percipiendo, ex jure possessionis? & hi sunt ij, qui non animo & opinione Domini possident, licet bona fide & Justè possideant; animo enim & opinione Domini possidentes, omnes fructus perceptos statim pleno jure suos faciunt. *suprà dd. ll. part. 1. θ. 10.*

13. *Postrema C. A.* decidendi ratio fit ἀμφιβολίας phraseos *suum facere, & alicujus fieri* explicatione, cujus etiam mentio facta *suprà part. 2. sect. 2. θ. 5.* scilicet istas locutiones, quandoque cum

cum determinatione, & modo quòdam accipi, ut fructus
 fiant alienius *interim*, dum non evincitur res, ex quâ percepti
 sunt, ut in l. 48. pr. de A. R. D. ea vox expressè ponitur, & in
 multis aliis ibi allegatis locis ^{sub} exaudiri debet. Nec enim absurdum
 est, perceptione adquiri fructus, & tamen restitui Hartm. Pist.
 lib. 4. q. 25. n. 2. Cop. lib. 2. t. 4. c. 7. vers. non abs. re igitur. We-
 senb. ad d. §. 36. Interdum v. absolutè, non subintellectâ Voce
Interim, pro irrevocabili & perpetuâ fructuum acquisitione. H.
 P. d. l. Cop. d. l. v. ergò Et hoc sensu principium d. l. 45. intelli-
 gendum; ratio; quia etiamsi ipsius fundi donatio licita non sit,
 licitam tamen fructuum, operâ & facto donatarii adquirentium,
 donationem continet, idè quod hi ab eo non jure possessionis
 sed licitæ donationis, l. 17. de donat. in Vir. & ux. ubi donator ne-
 que pauperior, neque is cui donatur locupletior fit, l. 3. pr. l. 25.
 ff. d. t. acquiruntur: Quod autem ex donatione valida habe-
 tur, id optimo jure quis habet, neque revocari aut restitui debet
 l. 1. pr. §. 1. ff. de donat. cum autem ratio ista perpetuæ, & irre-
 vocabilis acquisitionis, in fructibus naturalibus cesset, sed ea
 magis iis subit, quæ donationem inter Virum & uxorem regu-
 lariter impediatur H. P. d. l. q. 26. n. 18. etiam dispositionem ces-
 sare certum est; proinde in fine nostræ legis, postquam Jctus,
 naturales, pomum sc. & ex sylva caesa, viri vel uxoris non fieri
 dixerat, rationem hanc subnectit, quia non ex facto ejus (quæ
 vox ad Virum vel uxorem referenda, uti testatur Riemer. dec. 4.
 q. 4.) is fructus nascitur. Retenta ergo nunc eâ acceptione,
 in d. pr. l. 45. bene subsequitur istos fructus non fieri ejus, sicuti
 nec cujuslibet b. f. possessoris (quæ verba parenthesi includenda
 esse monet iterum Riemer. d. loco) i. e. non cujuslibet B. F. Pos-
 sessoris ex re bona fide possessâ, fructus perceptos fieri jure per-
 petuo, & irrevocabili; nam ab eo solo b. f. p. fructus percepti per
 fundi Dominum repeti nequeunt, qui vel rem usucepit, aut fru-
 ctus bonâ fide consumsit.

Membrum tertium:

Agit de B. F. Possessore ex fructuum Consum-
 tione Locupletato.

HActenus dicta, B. F. Possessorem Dominium fructuum, tam
 Industrialium quàm naturalium, perceptione quidem ac-
 B 3 quirere,



quirere, non tamen jure perpetuo, sed ad id consumptione opus esse intelligebantur, hoc v. cum indistinctè in Bonâ fide singulari titulo possidente, etiam locupletiore facto, non autem in hereditatis possessore verum esse in *summa* probaretur, sese v. variâ difficulrates offerant, quarum rationibus assertio illa fortè destrui posse videri possit, operè pretium duxi earum præcipuas, suetâ methodo, brevissimis in hanc scenam etiam introducere.

2. Primam itaque dubitationis ansam præbet nativa significatio Vocis *consumtum*, quæ intelligitur de eo, de quo nil amplius superest, & ob id locupletior quis factus ex eo esse dici nequit per *l. 72. ff. de Leg. 2.* ubi non dicitur absumtum quod in corpore patrimonii retinetur, quamobrem, cum consumtio ibi locupletationi opponi videatur, quomodo consumptione quis locupletior fieri, aut fructus consumptos lucrari posse dici possit, non liquet? v. *Hartm. Pist. lib. 4. q. 25. n. 10.*

3. Rationem decidendi; ubi prius vocem consumendi, quando planè nil amplius superest, intelligendam semper esse negaverim; ex *l. antecedente 70. §. fin. & seq.* propter connexionem, sumo, ubi non de re singulari titulo possessâ, sed de hereditate restituendâ sermo est, *Riemer. dec. 4. q. 4.* in quâ cum non singula Corpora sed Universitas consideretur, fructusque eam augeant, ejusque pars fiant, *l. 178. §. 1. de V. S. l. 20. §. 3. l. 22. A. de H. P. Dn. D. Locam. in q. Inst. 146.* & quod consumtum, cum locum rerum hereditariarum subeat *Wesenb. ad §. 36. l. de R. D. n. 14.* adhuc extare videatur; idè *in d. l. 72.* rectè dicitur, non absumi quod in corpore patrimonii retinetur *add. not. Godofr. ibi lit. e.* Proinde B.F. Possessor in Hereditatis petitione, fructus quos percipit, consumit, & in alios usus convertit, ut alienum quid consumens, suos facere nequit, sed per heredem ab eo rectè peti possunt. *Wesenb. d. l.* Quod in singulari judicio propter diversitatem rationum secùs se habet *Riemer, d. dec. 4. q. 4. in fin. Dn. D. Locam. d. quæst. in pr.*

4. Ast hujus decisionis vim enervare videtur *l. 40. §. 1. ff. de Her. pet.* quam urget *Pistor. d. q. 25. n. 13.* ubi Paulus dicit, Prædonem fructus suos non facere, sed augere hereditatem, B.F. Possessori autem, fructus non aliter augere hereditatem, quàm si locupletior factus; inde sequitur restitutionem fructuum non augmentationi, sed locupletationi adscribendam; quæ ratio ve-

rò cum

ro cum in utrisque; tam singulari quam Universalis; judiciis militet, etiam restitutionem in iisdem locum habere, consequens erit.

5. Huic respondetur, ante SCtum, quidem, de quo in l. 20. §. 6. ff. de h. petit. ex strictâ ratione obtinuisse, ut tam in Prædone, quam B. F. Possessore fructus augmentum essent hereditatis, nullo habito respectu, an ex his locupletior fuerit factus, sive non, ita ut ad restitutionem omnium fructuum tenerentur. *Vmm. d. Disp. 21. §. 3. n. 19.* Quod tamen postea ex æquo & bono in B. F. Possessore mutatum est, sic tamen, ut & hodiè non locupletatio, sed augmentatio restitutionis causa maneat, nec ulla differentia sit, nisi quod hæc in M. F. Possessore, aut Prædone propter culpam & dolum, tota; in B. F. v. possessore propter bonam fidem, solum in quantum Locupletior factus, æstimetur. l. 25. §. 11. ff. de H. pet. Est enim æquum heredibus putativis succurrere, in tantum tamen, ne lucrum sentiant *Vmm. d. l. in fin.* cum autem ratio illa augmenti in singulari titulo possidente cesset, *uti supradictum.* nec jus idem ei attribui poterit.

6. Hisce tamen difficultatem adhuc aliquam creat ratio generalis l. 206. de R. I. l. 14. ff. de Condict. Indeb. item l. 23. l. 32. ff. de Reb. Cred. quæ indigitatur à Gilk. ad §. 36. l. de R. D. c. 7. n. 78. & Hart. Pist. lib. 4. q. 25. n. 11. & seqq. æquum sc. esse neminem cum alterus injuriâ locupletari; quia autem hæc ratio omnibus aliis potior, & in particulari judicio, æquè ac universalis militet, etiam idem in eodem jus observari necesse est.

7. Sed pro decidendi ratione utimur hîc *supradictis*: Quia mutua rerum surrogatio in particulari judicio locum non habet ut in Universalis, ubi res hereditariæ, veluti genera quædam, functionem sui in aliis rebus recipientia considerantur, & res pro fructibus comparatæ ut extantes habentur. d. l. 72. & not. *Gotofr. ib. de Leg. 2.* In extantibus autem plus æquitatis est, ut restituantur, quam consumtis. H. P. d. l. quorum nomine B. F. P. nullâ actione conveniri potest §. 36. vers. & ideò l. de R. D. Quod v. l. 23. & l. 32. concernit, sunt eæ in casibus quando quis lucrum ex alieno, vel saltem alii debito fecerit, intelligendæ; quod in B. F. Possessore rei singularis, respectu fructuum aliter se habet, siquidem hic, fructus b. fide perceptos consumptos, ut rem propriam consumpsisse, ac suam fecisse, indeque lucrum non
ex re

ex re alienâ, sed suâ potiùs captasse putatur, per supra tradita & Dn. D. Locam. d. q. Inst. 146. imò, fructus hâc ratione consumti, quia sine culpâ possessoris periisse videtur, in restitutionem amplius venire nequeunt: Donell. 4. Comm. 25. quæ v. non extant & quod possessor sine dolo malo possidere desiit, eorum nomine non tenetur Donell. in tract. de fruct. c. 4. Idcirco repetendi æquitatem eo casu meritò cessare, dicendum.

8. Nunc ordine Legis nostræ postulante nonnulla etiam de fructibus, à B. F. Possessore postlitem contestatam restituendis, proponenda essent, quia verò hic à M. F. Possessore, de quo supra, in effectu non discrepat, & in utrisque; hoc casu; idem idem observatur, uti in summa probatum, & videre in super etiam est apud Vmm. de Process. D. 21. §. 4. n. 23. Cop. de fruct. lib. 2. c. 4. §. Pistor. lib. 4. q. 27. Gilmann. tom. 1. p. 3. pag. 36. n. 131. idè iis brevitatis studio supersedere, & ad reliqua properare placuit. Delabimur itaque ad.

Partem tertiam & ultimam

Quæ duo prospectata ex textu elicita comprehendit.

1. IN parte secunda sect. 1. ubi de fructibus à M. F. Possessore restituendis agebatur, etiam fructus percipiendos ei restitutioni subjectos esse affirmatum fuerat. Hinc corollarii loco hic non incongruè quæritur, an fructus isti æstimandi sint quos petitor seu actor, an v. quos possessor percipere potuisset? Pro petitore faciunt l. 62. §. f. l. 33. in fin. & l. 36. pr. de R. V. quibus tamen obstat l. 5. C. de R. V. quæ illos fructus quos possessor habere potuisset, restituendos esse decernit.

2. Quidam, quorum Copus in tract. de fructib. lib. 1. tit. 3. c. 9. meminit, hanc diversitatem, distinctione, num fructus ante, vel post moram percepti fuerint, decidendam statuunt; videlicet in his petitoris, in illis Possessoris personam spectari debere. Verùm cum palàm sit, M. F. Possessorem, de quo in d. l. 5. sermo est semper in mora esse l. 19. ff. de Vi armat. l. 8. §. 1. l. fin. ff. de Cond. furt. idè distinctione istâ difficultas hæc, tolli non potest v. Gilk. ad d. §. 36. vers. ei qui n. 1.

3. A Copo quoque, loco allegato, Bartoli opinio, quæ refertur etiam à Gilken. d. cap. quasi jure Digestorū habeatur ratio fructuum, quos petitor; jure novo autem, sive Codicis additos & eos

& eos esse quos possessor, si id ipsum petitori utilius fuisset, percipere potuisset, *ideò*, quod utriusque respectu iidem, non diversi fructus sint, reprobatur. Nec, quòd *Sichard. cum Bart. ad d. l. §. n. 4. C. de R. V.* tradit; actoris arbitrio, atque optioni relictum esse, ut eligat, & petat vel illos fructus, quos ipse percipere, vel possessor, si fortè diligentior extitisset, acquirere potuisset, ab eodem Copo d. l. ob eandem rationem non vult admitti. *v. Vmm. de Proc. Disp. 21. §. 3. n. 17.*

4- Opinio denique *Gilkenii d. l. n. 9. & seqq.* statuentis, nil interesse, an Verba legum concepta sint in Personam actoris, an v. possessoris, sed solummodò communem æstimationem, quia utrobique singularis industriæ, quam respectu personæ quis sentire posset, non habeatur, considerandam esse; ita ut tantos fructus actor percipiat, quantos diligens paterfamiliàs inde consequi potuisset; *Ummio & Copo dd. locis non probatur; ideò quod illa explicatio non tantum d. l. §. non conveniat, sed & l. 62. §. 1. l. 33. & l. 35. pr. ff. de R. V. adversetur. Quicquid tamen sit, simpliciter nos cum Vmmio ex d. l. 62. & c. dicimus semper in fructuum percipiendorum æstimatione, actoris personam intuendam, nisi ad utrumque tam petitorum, quàm possessorem æquales fructus pervenire potuissent; & ita intelligendam d. l. §. C. de R. V. & l. 1. C. de her. petit.*

Πόσειμα. Secundum.

1. Occasione *textus nostri ejusve summa*, ubi, postquam in fine ejusdem, B. F. Possessorem post litem contestatam, ceu M. F. Possessorem, omnes omnino fructus restituere debere, ostensum fuerat; ulterius investigatur, *An, si b. f. possessor neodum lite pulsatus, injusta possessionis scientiâ superveniente, quia fortè rem possessam alienam cognoverat, e tiam ut M. F. Possessor, de fructibus universis teneatur?* affirmative opinionis fundamentum depromitur ex l. 48. §. 1. ff. de A. R. D. ubi Paulus inquit, scientiam rei alienæ habentem, eò quod non sit B. F. Possessor, fructus non acquirere; cui majorem lucem affundit l. 23. §. 1. l. 40. pr. d. r. §. Quibus tamen *Iulianus in l. 25. §. 2. ff. de usur.* negativam fovendo aperte contradicit: quam antinomiam *Dd. testante Gilken. acrem & pervicacem, Vmm. de Process. D. 21. §. 4. n. 23.* nodum difficilem appellant. Cujus explanationi varii varios adhibuere modos, atq; remedia. *Vultei in discept. schol. c. 20.* ait, in Casu à *Iuliano* proposito,

C

fito,

6.

196



litó, non quæstionem, an quis fructus post supervenientiam malæ fidei suos faciat, sed de perceptionis jure decidi, sc. id ei salvum esse quoad res evincatur. Quæ responsio tamen, quia Jcto, contra mentem ejus aliam affingere quæstionem, injuriosum est, displicet. *Gilken. ad d. §. 36. c. 7. n. 35. I. de R. D. præsertim cum verba ibi suos faciat, longè aliud suadeant.*

2. Ita quoque plerosque interpretum ferè statuere *Copus lib. 2. tit. 4. c. 5. de fruct. testatur.* Ideò quod, hæc *Paulus atq; Iuliani* responsa invicè nò adversari, sed sententiam huius sic accipiendam esse, defendant: Possessorem, postquam rem alienam cognoverat, non statim jus colligendorum, & percipiendorum fructuum amittere, & Domino competere, sed haberi Domini loco, quantum ad factum perceptionis & collectionis attineat, donec res evicta fuerit à Domino; qui ex hoc demum tempore, jus illud habere incipiat; antea enim sicut ipsius rei, ita perceptorum fructuum possessionem, nullo modo à possessore auferri posse. Quæ explicatio autem cur propter dicti §. verba sequentia non admitti velit, videri potest apud eundem *Cop. d. l. & Gilken. d. l.*

3. *Accursi ad d. l. 25. Bartoli & sequacium* mentem, existimantium, Ictum in d. l. 48. movere tantum controversiam, eamque dubiam atque indecisam relinquere; Iulianum v. in l. 25. eam dirimere; propter subjectam rationis evidentiam, quã *Paulus*, illo loco, in ipsa oppositione cõplectitur, non probant *Cop. d. l. Gilk. d. l. n. 42. Bachov. ad Trentl. disp. 25. r. 12. lit. d.*

4. *C. I. A. §. 33. in fin. de usur.* cujus vestigiis etiam hoc loco insistimus, hanc rem intricatam, præsuppositâ vocis *quamdiu pro quatenus* acceptione, ita explicat, & dicit. *B. F.* emptorem durante bonâ fide, fructus ex fundo perceptos acquirere per d. l. 48. §. 1. l. 23. §. 1. Attamè, quamdiu sive *quatenus* fundus evictus non fuerit (eo sc. à b. f. possessore usucapto) ceterenus fructus, tanquam accessiones, atque sequela rei principalis; *fundi sc. usucapri*; etiam post scientiam rei alienæ perceptos, b. f. emptoris manere, neq; ei auferri posse, eòque respectu eum, postquam fundum alienum esse cognoverat, b. f. emptorem intelligendum esse, dicit d. l. 25. §. 2.

Potuissent quidem hisce plura adhuc, & varia addi, quia verò undique propositæ mihi brevitatis rationem habere volui, finio, DEOque Immortali gratias ago.

QVam pietate tuâ, quam Juridicâ arte Coronam
Tot studiis dudum meruisti, quamque mereris
imbibito hocce novo juris gymnasmate; eandem,
vt tibi proficiat, patriam ut pacatior ornet,
Hoc tibi corde precor, quod dudum effervuit in te.

F.

JON. CONRAD DANNHAWER, D.

✠ (o) ✠
✠

Strassburg, Diss., 765A-52

ULB Halle 3
004 774 795



f

Sb.

VD 17







ANALYSIS
Legis 22. C. de Rei Vindicatione,
Continents articulum juris
DE ADQV SITIONE, ET
RESTITUTIONE FRUCTUUM
à Bonæ vel malæ fide; Possessore.

QVAM

DEO TRINVNO
PRAESIDENTE.

Decreto & Autoritate

*Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi Ictorum Ordinã
in celeberrimã Reip. Argentoratis
Vniversitate*

Pro summis in utroque Jure Privilegiis, atq;
honoribus Doctoralibus consequendis, publicæ
& solenni censuræ subicit

JOHANNES ADAMUS Büchsenstein
Spirensis,
die Mensis Majj.



ARGENTORATI,
Ex Muséo Chalcograph: JACOBI TRILONIS,
ANNO M. DC. LI.

1651, 2.
431.